IN FVNERE
FABRICII GENTINII,
E' CONGREGATIONE
BEATISSIMÆ VIRGINIS DEI
Matris Annunciatæ,

ET

ACADEMICI PARTHENII,
In Ferrarienſi Gymnaſio Societatis IESV.


ORATIO
HABITA IN ACADEMIA PARTHENIA
ab ALPHONSO GILIOLO Comite, & eiuſdem
Academiæ Principe.



FERRARIAE,

Apud Benedictum Mammarellum. 1591.
Superioribus approbantibus.

ALPHONSVS GVALENGVS,
Academicis ſuis Parthenijs ornatiſ. S.





Abricij Gentinij, Academici noſtri demortui laudes, & eximia in noſtram Academiam promerita, digna profecto ſunt, quæ omnium noſtrum, non linguis tantum, ſed literis etiam, cæteriſque laudis inſignibus immortalitati commendentur. Id ſuperioribus menſibus erecto illi monimento, & conditis in eius obitum carminibus, tum publice recitandis; tum vero edendis, videbamur aliquo pacto conſecuti. Reliquum illud erat, vt typis eiuſdem laudatio funebris, eo ipſo tempore per Alphonſum Giliolum Illuſt. Com. tunc Principem noſtrum, cui me ſuccedere voluiſtis, habita mandaretur. id quo minus fieret, obſtabat Pauli Gentinij parentis, & eius quem dixi Principis modeſtia ſingularis. Sed vicit omnem difficultatem, veſtra erga Fabricium pietas plane mirabilis; & ita vicit, vt vobis petentibus, atque adeo flagitantibus cedere neceſſe fuerit, orationemque vulgare. quam tamen, ſi virtus eſt cum neceſſitate iungenda, ſperamus, Academico quidem vita functo perhonorificam, vobis autem de vero illius honore laborantibus, ac bene viuendi, moriendique rationem perdiſcere cupientibus, non ingratam, non iniucundam futuram.

Valete.

* *
*



ILLVSTRI VIRO ALPHONSINO TROTTO

Patrono ſuo ſplendidiſsimo,

FRANCISCVS GENTINIVS. S. D.




Arentis mei erga te, tuamque illuſtrem familiam ſingulare ſtudiũ,à ſuis maioribus hęreditario quodam iure acceptum, proprio iudicio curaque retentum, atque auctum; tale ſemper tantumq; fuit, vt de illo per ſe, liberoſque ſuos teſtificando, conſueuerit prope dicã aſſidue cogitare. Occaſionem ad id præſtandum ſanè pręclaram ſibi exoptãti anno ſuperiore vidit oblatam; ſed vt fallaces, & incerti ſunt rerum humanarum euentus,ea vix dum exorta prorſus euanuit. Fabricius germanus meus natu maior, mihique cariſſimus,ad laborũ quos in Ferrarienſi Gymnaſio Societatis IESV, in linguarum, & eloquentiæ ſtudijs impenderat, fructus non mediocres colligendos parabat ſeſe: ac Theſes ex tota Rhetorica facultate deſumptas,à ſe Doctoris ſui non permiſſu tantum, ſed hortatu publice ſuſtinendas, tuoq; pręclariſſimo nomine illuſtrandas, habebat in promptu. Verum enimvero, alia de illo ſtatuerat Deus Opt.Max.Itaq;ineunte autumno, eum ad chriſtianarum virtutum, in quibus præcipue laborabat ſempiterna præmia, in cœlum, quemadmodum quidem confidimus euocauit. Fefellerat ergo me,patremq; meum ſpes noſtra;& cum talis fratris, filijq; iactura, concupitæ oportunitatis amiſſio iungebatur. Verum inter tantas aduerſarum rerum tenebras, nobis diuinæ voluntati acquieſcentibus, ea ſe inexpectatę conſolationis lux obtulit. Obitum Fabricij,tanto honore,Academici Parthenij Ferrarienſes,eius in eloquẽtiæ curriculo ſocij, pro eximia ſua humanitate proſecuti ſunt, quantum nos, tenuitatis noſtrę haudquaquam immemores, non

 dicam

dicam petere, ſed ne optare quidem auſi unquam eſſemus. Atque vt Carmina quędam eorum ingenijs digna, ab ijs in obitum fratris mei iam pridem vulgata prætereã; Laudationem quoq; illius funebrem, ab Alphonſo Giliolo Illuſtri Comite, & per id tẽpus Academiæ Partheniæ Principe, in præclaro virorum conſeſſu habitã, placuit ijſdem quos dixi Parthenijs, iuſtas ob cauſas in lucẽ proferre. Id vbi Paulus pater meus omnino conſtitutũ reſciuit; facile ab Academicis impetrauit, vt liceret ſibi, quando in ſententia perſtare vellent, eam orationem tibi, per me in eadem Societatis IESV diſciplina Humanitati ſtudentem, pro Fabricij noſtri Theorematis offerre, ac dicare. Quod quidem facio ex animo, TROTTE clarisſime: teque etiam, atque etiam rogo, vt hoc noſtræ in te obſeruantiæ pignus, licet aſſumptum extrinſecus, illuſtre tamen ipſum per ſe, & cum noſtra perpetua in te voluntate coniunctum, benignitate illa tua, quę pari generis claritati reſpondet, ne graueris accipere. id ſi vti ſpero conſequar; in virtutum, bonarumque artium curſu maiores faciam quotidie progreſſus; & ad animi noſtri, tuæ gloriæ ſtudioſisſimi argumenta, diuino primum beneficio, tum vero etiam meo ingenio, & labore parta diuulganda, magis in dies, ac magis incitabor. Vale. Ferrariæ. Anno M.D.XCI. Cal. Febr.

**
*

ORATIO



I vera pietas, atque virtus, acerbo rerum euentu perturbata, motus animorum, dolorem, lachrymas iure ſuo poſtulat; merito commoueri, dolere, lachrymari debemus Parthenij humaniſſimi; cum Fabricium Gentinium, Sodalem, & Academicum noſtrum, virtute, ac pietate clariſſimum, laudabili, & chriſtiana illa quidem, ſed inexpectata, luctuoſaq; morte nobis ereptum ſentiamus. Ac ſane, ſi cuiquam iuſtus honor habitus eſt in funere ſocio noſtro; in Fabricio, nihilominus profecto iuſtus, quin multo etiam fortaſſe iuſtior reperietur. cæteri qui in noſtra Congregatione, atque Academia mortem obiere (quibus nuper adſcripſimus Ioannem Prampolinum, & Ioannem Andream Serenum iuuenes honeſtiſſimos; quorum laudes hodie carminibus attingemus; nam laudationes oratorias in aliud tempus iure cenſuimus differendas) cæteri igitur, præſtantes illi quidem fuere humanis, diuiniſque muneribus: verum nec ita pridem, perfectioris virtutis curriculũ erant ingreſſi; neque admodum ſæpe ac diu in re noſtra publica gubernanda, & illuſtranda laborauerant. Fabricius Gentinius, & diutiſſime quantum in ipſo fuit,

in inge-

tentiam à Doctore nostro quotidie interrogabantur, expedite in primis, ac erudite responderet; sed iudicatus etiam ab eodem eloquentiæ magistro iam esset, ad Theses ex vniuersa benedicendi Arte depromptas, & excusas, in publico defendẽdas aptissimus. Sed incertum videlicet nostræ vitæ cursum, aliter sæpe, ac nos ipsi maximus ille omnium Parens, & rector instituit, moderatur, absoluit. nam dum Rhetorica Theoremata, omnem illam doctrinam complectentia, ab eo quemadmodum sperabatur, hoc ferme tempore, hoc ipso in loco sustinenda, ipsi propemodum prelo mandantur; ecce tibi repentina febris, ingeniosum conatum interrumpit: ac paucis post diebus, Deo immortali rem totam longe melius dirigente, ne finem quem sibi homnes proposuerant sortiretur ultimum, se se mors ipsa penitus interposuit. Proh quam varia est humanæ vitæ, commutabilisque ratio; quam vanæ, quam leues, quam miseræ nostræ cogitationes: quæ tum persæpe in medio rerum cursu repente corruunt, tum sæpissime nobis ex ipsis carceribus vix egressis, cunctaq; ad voluntatem fluxura confidentibus miserabiliter intereunt. Prætereamus hic, ne infinita reddatur oratio nostra, inueniendi, collocandi, & eloquendi vim in ipso mirabilem; vel solutæ orationes, vel poeticis astrictæ numeris; vel epistolæ, tum negotiales, tum morales; vel dialogi, vel historiæ, vel cætera ingenij partuum genera; siue per commentationem concipienda, & informanda, siue per scriptionem edenda, & perficienda essent.

da essent. nihil dicatur de hetruscæ linguæ cognitione, quã ille sibi alienã linguã, perinde ac si una cũ nutricis lacte suxisset, perquã apposite, & eleganter, tum scribendo, tum loquendo suis temporibus vsurpabat. Præstantem vero illius memoriam, ad comprehendum promptam, & alacrem, ad retinendum firmam, atque diuturnam: vim, & proprietatem in pronunciando, & agendo familiarem, oratoriam, tragicam plane mirandam: perpetuam quoque in omnibus iure imperantium, & studiorum ordinem præscribentium mandatis exequendis curam, studium, diligentiam; sæpe, sæpe inquam? immo vero assidue potius, vt memoria tenetis, in hoc ipso nobili eius laudum theatro, magna cum animorum voluptate cognouistis. Quid? infirmissimum ne erit illius ingenij argumentum, quod minorum, maiorumq; perelegantium characterum scribendorum artificio præditus erat singulari? Id, ne aliena quærantur testimonia, satis superque prædicant tabellæ complures, ad hanc virtutis doctrinæqu e sedem adornandam comparatæ; in quibus Fabricius erudita, & pia incitamenta uirtutum, quæ illius erunt etiam in posterum monimenta laudis, luculenter inprimis, & accurate descripsit. Hic autem, quamuis ad grauiora properat animus; illud præterire tacitus nullo modo possum, ad vitæ nostræ inconstantiam, & mutabilitatem nobis ob oculos collocandam vehementer accommodatum. Pridie Cal. Sextiles, (postridie enim Cal. easdem febri laborare cœpit) cum in Congregationis nostræ fastis, siue annalibus, quos ille à principio totos continuate

 perscrip-

perſcripſerat, poſtrema quædam prout mandatum fuerat adſcripſiſſet: tantum albi caſu reliquit in extrema tabula; quantum haud ita multo poſt, ſatis alteri fuit, ad extremum eius vitæ diem, publicis literis conſignandum. ita fortaſſe neſciens, dum viuentium ſociorum deſcripſit actiones, mortis ſuæ tempus, ſi ita loqui fas eſt, ſibi bonus adoleſcens, neſcio quo pacto præſcripſit. vt hinc etiam facile quiuis intelligat, Aud. quam ſint hominum ſpes inanes, quam infirma conſilia; quam ſit vel in ipſo ætatis, ac iuuẽtutis flore, noſtri exitus fallax, mutabilis, incerta conditio. Iam vero virtuti Fabricij Gentinij, quæ poterit par oratio reperiri? ecquid nam eſt, quod aut illo non indignum, aut vobis nouum, aut alijs plurimis inauditum poſſimus afferre? Neque enim ſunt eæ ſolæ virtutes ingenui, chriſtianiq; iuuenis, quas vulgus exiſtimat; ſplendor generis, parentũ gloria, opes, diuitiæ, res à maioribus cum dignitate geſtæ; recta membrorum compoſitio, roburque corporis, acumen ingenij, ſolers in doctrinis comprehendendis induſtria: quæ tamen ipſæ omnes in Academico noſtro, ſiquidem eum vellemus alienis potius, quam proprijs ornamentis decorare, tales profecto inuenirentur, quales in multis eius æqualibus, & quidẽ magna laude, atque honore dignis inueniri fortaſſe nequaquã poſſent. Verũ ſunt alia maiora, illius multo etiam magis propria, ſed a nobis, ne breuem laudationem, in bene longam hiſtoriam cõuertamus, vobis humaniß. Aud. ita vt facitis attente comitantibus, curſim, ac feſtinanter indicanda potius, quam lente, ocioſeq; demonſtranda. An

illius

illius forte prudentiam quærimus? ea in multis, atque vt in adolescente, grauissimis officijs, honorumq; gradibus mirandum in modum emicuit; in quibus illum partim Gymnasium Eloquentiæ, partim Academia nostra Parthenia; partim Beatissimæ Virginis Congregatio frequenter exercuit. nam in sententijs palam, atque ex improuiso dicendis, quam se se grauem, & prudentem ostenderit, vobis relinquo statuendum Aud. prudentissimi, qui Fabricium Gentinium, dum nobiscũ viueret, in ingenuis muneribus obeundis, identidem in hac ipsa pulcherrima studiorum nostrorum palæstra desudantẽ; ætate quidem adolescentem, ac pene puerum; at vero iudicio prudentia, consilio senem, vna, & mente, voce toties appellastis. Iustitiam ne in Academico nostro inuestigamus? tametsi cur ea inuestigentur, quæ in promptu sunt omnibus? Neque vero, si quid in hanc sententiam dicendum esset, propterea diuidenda hic esset iustitiæ virtus in eas partes, ac formas, quæ ad Ciuitatum, Rerumq; pub. Iudices, Magistratus, Principes referuntur. quanquam in ijsdem ipsis excelluisse Gentinium affirmare possumus, gerendo sæpius Gymnasii Rhetorici, hoc est adumbratæ cuiusdam, & iuuenilis Reip. Principatu. Atque, vt cursim hanc etiam laudum illius partem perstringamus; si iustitiam definiunt sapientes, esse creditis in rebus fidem; Fabricius Gentinius, publicam Sodalitatis nostræ pecuniam, atque alia, quæ ad pietatem in animis nostris excitandam pertinent, honorificis Quæstoris, Assistentisque nominibus, incorrupta fide, perpetuaque integri-

 tate

tate tractauit. Si amicitiam in beneuolentia: Fabricius ita quibusdam honeste familiaris erat, vt omnes prudenter amaret, ab omnibus liberaliter amaretur. si in moderatione animaduertendi lenitatem; Gentinius quas pœnas iure sibi posse videbatur acute, ac eloquenter defendendo priuatus; pro potestate ignoscendo, Gymnasij Princeps libenter, & opportune, à suis condiscipulis auertebat. Si iustitia vulgo bonitas nominatur; is & ne cuiquam noceret attente prouidebat, & ad bene de omnibus merendum, quantum in se erat, magnam curam, atque operam conferebat. Denique si erga parentes pietas, & in eos quos reuereri oporteat, obseruantia, inter solidas iustitiæ laudes numeratur; Fabricius noster, tantum abest, vt hoc sibi ornamentum deesse sit passus, vt nobis potius exemplum ad intuendum, & imitandum reliquerit in hoc genere præclarissimum. Testem habemus, & eum sane luculentum, Patrem illius optimum, mœrore quidem, ac dolore merito circumseptum, sed pro sua uirili constantia, & animi firmitate in tali casu, tantoque vulnere nequaquam oppressum. testem habemus vt, comprehendam breui, nostri huius Gymnasij, Congregationis, & Academiæ rectorem, ac moderatorem, alterum Fabricij quasi parentem, acerbo animi sensu vehementer affectum: quos, atque alios grauioris auctoritatis viros; non debita solum, & communi reuerentia prosequebatur; sed ea, qua uel minimus eorum nutus illum, quamuis ingenio, & prudentia præditum singulari, quoquo ipsi vellent subito

bito adduceret, idemque ſi opus foret, repente deduceret. virtus uero adoleſcentis, vt inuſitata, & rara; ſic nouo, illuſtrique præconio celebranda. At pietas in animum ſuum, & verus erga immortalẽ huius vniuerſitatis effectorẽ, et adminiſtratorem cultus, ac religio, quibus potiſſimũ præcipua, et maxima poteſtas iuſtitiæ continetur, quantopere in Sodali nobis gratiſſimo floruere? ad harũ rerum memoriã ueſtros animos reuocare vltimo loco ſtatui, Iuuenes honeſtiſsimi; quod præſtare mox quã celerrime enitar, ſi eius fortitudinẽ, ac tẽperantiã, prius extremis quaſi digitis curſim attigero. Atque hic res in armis fortiter, et præclare geſtas, ab eius ætate, ac ſtudio abhorrentes, nullus profecto veſtrũ expectat. quod ſi quis magnũ velit illius animũ intueri, in impedimentis, quæ in curſu uirtutũ perſæpe obijciuntur, egregie ſuperãdis; æquabilitatem in varijs humanæ vitæ calamitatibus tolerandis, cõſtãtiam in ſuſceptis pro uirtute, & honeſtate laboribus, quandiu vel oportuit, uel potuit perferendis: næ ille intelliget, ea in Fabricio noſtro, nõ minus clara, & ſpectata fuiſse quã cætera. Equidem dum reputo apud eos me dicere, qui multo fortaſſe melius quam egomet, Academici noſtri nobis à morte nuper ablati virtutes, laudesq; cognoſcant; ingẽti me longioris orationis onere ſentio liberari. quo etiam fit, ut de memorabili eius temperantia, & caſtimonia, quã ſex annos, & eo amplius (tãdiu enim in horũ religioſiſſimorũ Patrum diſciplina fuit) immo vero etiam, à primo tempore ineuntis ætatis honorifice, religioſeq; ſeruauit, dicendum non eſſe videatur. Id niſi alia,

eaque

eaque multiplici ratione constaret; vel ex eo quod mihi postremum in hac dictione mea proposueram, comprehendi liquido posset. nam tot annorum in æterna sua, & aliorum salute inquirenda, Deo opt. max. colendo; augustissima Virgine Dei matre veneranda, & multis quæ ad hæc summa reuocantur, christianæ pietatis officijs rite præstandis, quam in Fabricio Gentinio conspeximus, perpetua, mirabilisque perseuerantia, quantum ad morum integritatem, animique candorem valeant, non est, mea quidem sententia difficile iudicare. Quis igitur, (quando in portum orationis prouehor, vnde discesseram) quis vestrum ignorat, Illustres Pathenij, in Congregationis nostræ cœtibus frequentandis, in sacris concionibus audiendis, in sacrosanctis Omologesis, & Eucharistiæ mysterijs obeundis, in pueris, ac rudibus doctrina Christiana imbuendis, quam assiduus, quam constans, quam inflammatus fuerit Fabricius Gentinius: qui harum rerum non modo tempora, menses, hebdomadas; verum ipsos etiam dies, ipsas horas, ac pene momenta temporis præstituta, semper, modo per grauia liceret impedimenta, prudens ac volens obierit. quæ quidem, nisi tam magna esse fateamur, ut cum verissima sint, prope tamen incredibilia in tali ætate videri possint; ecquænam tandem, magna esse fatebimur? Adolescentem natura sua lætum, & hilarem, præstantem ingenio, in ingenuarum disciplinarum studijs nunquam non occupatum; præter communem adolescentiæ consuetudinem, tanquam senem aliquem, aut affecta, vel confirmata ætate virum, in optimis,

& ad

& ad immortalem beatitatem intentis actionibus, tandiu, tam libenti, gaudentique animo, tam constanter & integre versatum esse? Verba mihi desunt Aud. cum ea quæ mecum ipse cogitans de miranda Sodalis, & Academici huius nostri virtute sentio, explicare, vt à vobis omnibus qui nostrum luctum tanta vestra grauitate cohonestatis intelligantur, vel vt in eorum cognitionem facile veniatis, indicare certe contendo. O felicem teneræ, atque flexibilis ætatis nostræ conditionem; si tamen ad artes homine ingenuo, & humano dignas, ad veram laudem, ad solidam gloriam, ad stabiles honores, ad sempiternam salutem, ijs tum incitamentis, tum adiumentis prudenter vtaris, ac fortiter; quæ abunde tibi diuina illa bonitas, hac nostra in primis tempestate suppeditat. ò felices parentes, & iuuentutis, ac pueritiæ curatores; qui ad pretiosissima Dei Opt. Max. vestræ fidei commissa deposita, liberos inquam vestros saluos, tectos, integros, inuiolatos cœlesti mortalium, & immortalium Patri custodiendos; tot commoda, tantamque oportunitatem, si quidem illam velitis agnoscere, in vestris regionibus, in urbe vestra, intra domesticos, vt ita dicam, parietes, habetis. Cognouisti, & egregie cognouisti, cœleste depositum simul, ac donum, te appello Paule Gētini, Sodalis nostri amātissimi parēs optime: qui non modo Fabricium tibi à præpotenti Deo concessum, cum primum per eius ætatem, & ingenium licuit, incorruptæ disciplinæ, ac tutissimæ custodiæ tradidisti: verum plurima etiam iuuentutis pericula sapienter animo colligens, licet illum ad grauiora

studia

ſtudia ſatis idoneum, tibi eius Doctor, ſuperiore anno reddidiſſet; tamen quam diutiſſime fieri potuit, in eadem liberali, & accurata cuſtodia conſeruare voluiſti. Abſtulit modo cariſſimum tibi pignus, is qui antea commendauerat, Deus Opt. & immortalis: ac licet, & quia tuum, & quia tua virtute, integritate, religione dignum filium, tibi necopinanti nuper ablatum, iure paterna mœſtitia, dolore, lachrymisq; proſequeris; eſt nihilominus tamen, eſt quod te, & debitum fideliter aſſeruatum, reſtitutumq; feliciter; & præſentia illius pericula euitata; & incerti, nec raro periculoſi rerum futurarum euentus, & laudabilis eius vitæ ratio, ſalutariſque terminus conſolentur. Præmiſiſti ad felicitatem filium parens, nõ amiſiſti: eripuit (ſi ita loqui fas eſt) eum tibi diuina bonitas, ne pernicioſorum hominum, dæmonumque malitia, diutius viuentem eriperet. Vos autem, Parthenij ornatiſſimi, quorum pius animi dolor per vultum, ac per oculos, qui fideles animorum ſunt indices, ueluti per chriſtallina quædam integumenta penitus introſpicitur: gaudeatis in dolore, & vehementer gaudeatis licet. nam ſi inopinatus iucundiſſimi ſocij, ac pene ducis ſtudiorum noſtrorum è vita diſceſſus, ita veſtrum effodit pectus, vt carisſimarum nobis rerum amiſſarum memoria ſolet effodere: tamen ſi vitæ illius ad moralis, chriſtianæq; virtutis normam traductæ, ſi mortis quæ vitæ ipſi perſimilis fuit, uobis in mentem veniat: conuertatur in lætitiam dolor, vel certe magna ex parte leniatur neceſſe eſt: ne, aut parum in ſanctiſſima CHRISTI *Redemptoris fide conſtan-*

tes,

tes, aut in Academicum, ad feliciſſima laborum ſuorum capienda præmia, ex hoc terreno exilio, cœleſtem in patriam euocatum inuidi eſſe videamini. Nam, vt in eius felici ad æternam quietem profectione, oratio noſtra tamquam in portu conquieſcat; cum illo quis neget actum eſſe præclare? quis iure arbitretur, aditum in cœlum expeditum, honeſtiſſimo adoleſcenti nequaquam patuiſſe? præter enim ea perpetuæ ſalutis argumenta, quæ in Fabricio noſtro uiuo, atque incolumi diximus, immo vero etiam vidimus floruiſſe: eius morbus, & obitus, nonne ſatis firmam, & claram nobis fidem faciunt? IV. Non. Aug. in intemperato huius anni temperamento, cum vehementi febre correptus decumbere cœpiſſet; tametſi humanæ medicinæ remedia, quippe à ſummo rerum effectore, ad ſalutem noſtrorum corporum inſtituta, nunquam pro ſua prudentia, pietateque reſpuebat; patrem qui ſibi confitenti aures dare conſueuerat, nulla expectata medicorum, aut parentum admonitione, ad ſe celeriter aduocari iubet; delicta per ſacram confeſſionem abſtergit. inde cum peſtifer morbus, inteſtini continuatione incendij, corporis robur, ac vires abſumeret; eo fortior fiebat animus, quo corpus imbecillius reddebatur. Itaque mira patientiæ documenta dedit, mira ſuæ voluntatis cum diuina coniunctæ, mira ſtudij erga beatiſſimam virginum Principem ſingularis. At vero quo die illuſtriſſimi ſanctiſſimiq; martyris Laurentij memoriã, chriſtianus popu-

lus anniuersaria cæremonia consecrauit; quasi iam iam exitus sui tempus instare, inusitato quodã cœlestique iudicio præsagiret, Sacerdote iterum festinanter accersito; per sanctum pœnitentiæ sacramentum, totius anteactæ uitæ maculas, quascunque post attentam commentationem recordari potuit, magno cum sensu doloris expiauit: deinde viuo, & immortali pane, sacraque Ecclesiæ orthodoxæ vnctione vehementius corroboratus, indicatum sibi; atque adeo indictum à religiosis hominibus vicinæ mortis certamen, admirabili tranquillitate mentis, & corporis, ad vltimum vitæ punctum strenue, fortiterque sustinuit. Denique pridie Id. Augusti, in sua cordis, orationis, uultus æquabilitate, & constantia perseuerans; IESVM nostræ salutis autorem, & conseruatorem è cruce pendentem auide contemplans, & inuocans, prima noctis vigilia; perangustis terrenæ, atque aridæ custodiæ cancellis diuina misericordia patefactis; ad amplissimos, æternoque vere florentissimos cœlestis beatitudinis hortos, atque ad DEVM fontem viuum, inexplicabili, & perenni dulcedine affluentem; quibusdã beatæ immortalitatis, & extremi Congregationis nostræ beneficij pennis instructus, immortalis ille animus, feliciter, quemadmodũ quidẽ cõfidimus aduolauit. O adolescentem vere gloria dignum, in quo humana diuinaque ornamẽta, se se ostenderunt mirabiliter, & supra quàm à

me dici

me dici possit expressa; in quo communes permultorum causæ, longe meliores quã in alijs plerisque, ac præstãtiores effectus peperere. Quid enim tam est commune, quam rerum plurimarum ignoratio, animique leuitas pueris, atque adolescentibus; superbia ingeniosis, & eruditione præstantibus; multa vitiorum genera iuuenibus; æternæ salutis obliuio, in assidua caducarum rerum cognitione versantibus? Fabricius Gentinius ita puer, & adolescens fuit, vt tum scientia, tum grauitate sane multis æqualibus, haud quaquam obscure præstiterit: ita ingenio doctrinaq; valuit, vt cũ esset multis in hoc genere superior ijs tamen ipsis hac eadem in re, adhibitaa in consiliũ ratione cõcederet: ita iuuenis, vt nõ modo vitiorum esset hostis acerrimus, sed compluribus etiam, ijsque singularibus virtutum generibus nobilissimus: ita denique in politioribus litteris, et ingenuis artibus addiscẽdis implicatus, vt de sẽpiternæ salutis amore ac studio, quoad eius fieri posset, nihil vnquam remitteret. O Gentini Sodalis noster amantissime, atq; optime; quam iure te felicem, quã vere te beatum uocare possumus: qui in huius fluxæ uitæ, maximeq; iuuenilis ætatis alto, tam multis rerũ aduersarum scopulis, tot secundarũ sirenibus, perturbationũ uentis, peruersorũ dæmonũ procellis, hominũ consceleratorum uoraginibus, & scelerum naufragijs exposito: sacrosancta VIRG. MATRE, tam periculosi maris fidelissima cynosura, à qua nunquã oculos auertisti, duce perpetua: omnibus

 non

non modo malis, sed malorum periculis, & periculorum formidine liberatus, in tutissimum, omniq; bonorum copia circumfluentem, infinitæ salutis, quietis, & gloriæ portũ introisti. Sed me ad orationis exitum festinantem, Parthenij, detinent mirandum in modum, & afficiunt, hæ voces Fabricij nostri, quas audire mihi uideor in hoc ipso loco quotidie, atque hoc maxime tempore quo eius funeri iusta persoluimus. Valete, inquit, valete Sodales, & Academici mei; stet vestrum Sodalitium, stet Academia vestra præclara, & florens, quæ mihi fuere perfugium gratissimum. Ego ex isto corporis miserrimo carcere, diuinæ voluntatis nutu expeditus, ea libertate, ac felicitate fruor, quam nulla vnquam temporis circumscriptio metietur. ô fructuose suscepti labores mei, ô salubres cogitationes; ô exercitationes optimæ; nũc uero quam periculosa sit uestra ista vita plane intelligo, nunc vero quam suaues, & iucundi sint virtutum, & recte factorum fructus plane sentio: nunc demum pietatis radices quæ istic inter uos humiles, amaræque videbantur, in immortali cœlestium concilio, æterna compensatæ gloria, & dulcedine mitigantur. Vos me vt dicitis amisso, re autem vera præmisso doletis extinctum, lugubribus meum obitum laudationibus prosequimini; grata est uestra mihi beneuolentia, gratum studium, grata pietas. sed gaudeatis licet: ego enim tutum, ac tranquillum, quietis in omnem æternitatem duraturæ portum teneo. Vos mortalium rerum caducam, flu-

xamque

xamque naturam, quotque & quantis tempestatibus, ac procellis exposita sit considerate: summũ uitæ vestræ tẽpus perpetuo ante oculos habetote: is enim vere alacri animo mortem excipit vel subito venientem; qui diu se ad illius aduentum composuit. ergo mecum præclare agitur; vos in suscepta salutari sententia persistite; nulla re, vt à diuina lege declinetis adducamini: nullus tantus labor suscipitur, & perfertur in terris, quin infinitis partibus, cœlesti quiete superetur. Hæc tu nobiscum felicissime Gentini: hæc vicissim nos tecum: (respondebo enim omnium nomine, quando à me vno de te, omnes apud se verba fieri voluerunt). quod nos reliquisti, et repente reliquisti, non possumus non moueri; sic enim vis quædam humana postulat: sed & ratione in consilium adhibita, & oratione tua periucunda recreati, querelis, & lamentationibus æquo animo supersedemus, ac tibi tuum istud tam excellens bonum gratulamur. Iam te, ut nos socij tui, quos in hoc periculorum plenissimo pelago reliquisti, quo in eundem tranquillissimæ vitæ portum, saluis animi, corporisque mercibus inuehamur, cœlesti charitate iam inflammatis precibus, communi atque vna omnes, & mente, & voce obsecramus, efficias. Reliquum illud est, Parthenij honestissimi, vt si Fabricium Gentinium Sodalem, atque Academicum nostrum, ingenio, doctrina, pietate, virtute præstantem; debitis lachrymis, & laudis insignibus, ac monimentis, quando viuum diutius non licuit, mortuum hones-

honestauimus; eiusdem quæso christianis adolescentibus dignas actiones, illius maxime verbis inflammati, moribus nostris exprimere studeamus: quo fiat vt sobrie, iuste, & pie viuamus hoc per breue seculum: & mortalis huius vitæ finis, sit nobis cum Fabricio nostro, immortalis illius, ac beatissimæ principium.

Dixi.

FINIS.



DE VETERI AC NOVO ACADEMIAE

FERRARIEN. PARTHENIAE PRINCIPE:

Herculis Romæi C. Academici
Parthenij cognomento
Philareti,

Ad cæteros Academicos Epigramma.

Dicite Parthenij, cœlo gratissima pubes;
Dux vetus in nobis emicat, an ne nouus?
Dux erat Alphonsus radiantis candor honoris;
Insignis Phœbo, Mercurioque potens.
Dux est Alphonsus generoso stemmate fulgens;
Eloquio Alphonsus nobilis, atque lyra.
Fabricij tulit ille alacer super æthera laudes:
Hic quoque Fabricium personat ore lubens.
Ast Aquila assuerat nostras volitare per auras;
Nunc geminus currit nostra per arua Leo:
Sed caput excelsum diademate iactat vtrunque,
Illa furens pennis, viribus iste ferox.
Quid tandem? nostro radiat nouus æthere Princeps,
Quem decorant veteris candida signa Ducis.

